VIRO
PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO ET PRAECLARISSIMO
M. PETRO IAENICHIO
ECCLESIASTAE THORVNENSI ET GYMN. RECTORI AC P. P. MERITISS.
OB ELOCATAM

VIRO SPECTATISSIMO

DN. DANIELI ANDRESS
IVR. PRACT. ET CIVI PER EXIMIO,

FILIAM CARISSIMAM

REGINAM CONSTANTIAM
VIRGINEM OMNIBVS VIRTVTIBVS EXCVLTISSIMAM,

DIE NVPTIALI IX. NOVEMBR A. R. S. M. DCC. XXXIV.

OMNI CVM ANIMI OBSERVANTIA ET CVLTA,

NOBILISSIMAE FAMILIAE

AVGMENTA ET ORNAMENTA APPRAECATAE SVNT

MVSAE THORVNENSES.

Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

DEscripsere alii antiquitates Thorunii,
ne quid ex vetustate recondita
lateret novos homines.
Liceat & nobis antiquis novum decus addere,
quod nulla temporum delebit oblivio,
quod saxis & statuis firmius,
quod ipso erit ære perennius.
Petra consurgit Civitate media,
satis ardua, amœna, bifida.
Qua rupes finditur,
lympha erumpit sine strepitu,
& jugi fonte auctior,
duobus alveis divisa,
prono lapsu subjecta arva irrigat,
Non opplet sabulo vel inundat.
Mirum dictu! qui flores,
non mortui sed animati rupem vestiant:
quot apes Hymettiæ circumstrepant,
nectar divinum delibantes,
unde mella stipant, favos replent,
in futurum providæ,
nequid patvis Quiritibus desit hieme.
Ænigmata forsan loqvimur.
Sphinge tamen vel Oedipo
qui solvat opus non est.
Suspicimus Plur. Rev. Ampliss. & Præclarissimum
DN. M. PETRUM. IAENICHIUM,
Ecclesiasten, Rectorem Gymn. ac Prof. Publ. meritiss.
qui gemina facundia
Ecclesiam Thorunensem pascit
& Scholam alit liberaliter:
a cujus ore & oves pendent & agni obediunt:

cujus

cujus e pectore divinæ humanæque scientiæ
latices ubertime propullulant.
Hunc & floribus convestivit Numen,
Filiis videl ac Filiabus moratissimis,
in quibus vivit suamqve pingit imaginem,
quibus, ut vicissim viverent,
ipse post Deum dedit.
Qvam arduum, petram hancce conscendere!
Nobis Musarum alumnis in facili est
aquam haurire ex alveo,
qui omnibus patet,
nemini non sese offert.
At qui flores geniales cupiunt decerpere,
his senticeta perrumpere, saxa superare,
lapides amoliri, in cacumen montis eniti
non æque est facile.
Ausus tamen est
Spectatissimus Dominus
IO. DANIEL ANDRESS
quod aliis successisse vidit absque invidia,
& Florem Virginalem
REGINAM CONSTANTIAM
Filiam lectissimam
improbo labore petiit.
Qvi tamen Sponsus evasit?
qui florem aureum in sublimi positum,
ut Iason vellus aureum reportavit?
Multum quidem profuit vicinia,
ut probi mores ne essent ignoti,
Adjuvit memoria curriculi Scholastici,
ut qui bonus erat discipulus,
gener quoque bonus esset.
Provexit denique prudentia Oeconomica,

quam

quam quia a Matre piissima accepit vel didicit,
ſpes erat per candem
rem familiarem ſuſtinere poſſe.
*H*abet ergo e petra germinantem floſculum.
qui vitæ moleſtias
alloqvii, ſolatii, auxilii fragrantiæ
mitiget vel abſtergat.
Gratulamur merito optimis Parentibus,
bonum reperiſſe Generum:
Gratulamur SPONSO,
per germen Sacerdotale
felicius poſſe creſcere:
gratulamur SPONSÆ ornatiſſimæ,
quod dum a domo paterna
ad novas ædes tranſiit,
liceat tamen in oculis Parentum verſari,
a *P*arentibus ope foveri & conſilio.
Ita DEus opt. Max.
Parentibus perenne præſtet gaudium
ut in Filiis fama magnis meritis parta,
in Filiabus Senectus aliquando conquieſcat.
Neoſponſis idem
ſua dona accumulet,
ut qui DEO omnia accepta ferunt,
a DEO iterum pacem ſine tædio,
dies geniales ſine nubibus,
ſanitatem abqve ope Medica,
rem familiarem florentem
damnis & diſpendiis vacuam
referant.